

Satanæ auctori adscribi debet, cum in modum, quo *Satanas* *Jude* in cor immisisse scribitur, ut proderet *Jesum* *Job.* XIII, 2. & in filiis incredulitatis ipse ἐνεργῶν efficaciter operans dicitur. *Eph.* II, 2.

§. XXXVII. Imo vero etiam, quando Lex divina, cujus usus elencticus in peccatorum manifestatione & redargutione consistit, hoc officio suo fungitur; (quod homini, si accedat & sine impedimento quod suum est agere possit Evangelium, utile est & *pœnitentiam ad salutem non pœnitendam parit*, *II. Cor.* VII. 10.) *Satanas* eo sæpe abutitur, & sicut ab Evangelicarum promissionum meditatione, & applicatione ad propriam personam, abstrahere hominem conatur, ita non desinit, quoad potest, maledictionem Legis exaggerare, inculcare, & velut irrevocabilem summi judicis sententiam urgere: Quam in rem *B. Lutherus* morem illum, quem *Satanas* observat, declaraturus, in lib. de *Missa privata & Unctione sacerdot.* T. VII. Witteb. Lat. fol. 228. seqq. scribit: *Non mentitur Satan, quando accusat & urget magnitudinem peccati: ibi enim habet duos invincibiles graves testes, legem DEI & nostram propriam conscientiam. Non possum negare, me peccasse, non possum negare, quod reus sim mortis & damnationis &c. Sed ibi mentitur Satan, quando ultra urget, ut desperem de gratia &c.*

§. XXXIIX. Ita vero se nobis offert quæstio illa alias agitata & vexata: *Quomodo Diabolus possit agere in animam humanam?* nempe suggerendo ei has aut illas cogitationes, quæ ad prægustum damnationis pertineant. Sane quod immediate possit agere in intellectum hominis, non solum imprimendo illi species intelligibiles quoad simplicem apprehensionem; verum etiam determinando ad assensum; assertu difficile est. Cavendum sane, ne hac ratione sequatur etiam ex parte voluntatis determinatio quædam, & necessitas, indifferentiam seu libertatem ejus tollens: qua stante, frustra juberemur *resistere Diabolo*, ut *fugiat a nobis*, *Jacobi* IV, 7. *Conf. 1. Petr.* V, 9. Quod autem *Satanas*, sicut extrinsecus proponere potest & solet objecta, ita etiam per species objectorum ad phantasiam delatus, & mediantibus phantasmatis, intellectum movere possit, ut sic vel aliter judicet, prout res apprehendit per oblatas species; negen-